

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-267058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-267058)

multo post ipse morore contabuit IV. Non. Martij
anno et loco his versibus indicato

153.

Dum Bis Sexcentis ter senus additur annus
In Friburg moritur Bertholdus Dux Alemannus.

Cap. XXIV.

De Hermanno IV. Marchione Badensi
ejusque Fratribus.

De hoc Lifforius: Hermannus IV. Marchio Verona,
Dominus de Baden, auxit provinciam Forzema, Durla-
co et Ellinga et dote uxoris. Principem pium et bel-
licosum vocat Henninges.

An. 1208. in Donationis instrumento, quo ab Hen-
rico Saxonie Duce et Comite palatino Rheni Socero
suo Trebenkusanum monasterium locupletatur, testes
adhibiti leguntur de Clero Justardus abbas de Heme-
rde, Walterus Schonaugiensis abbas &c. de Laicis
Margravius de Baden, Comes Hüsfulter, Warnerus
capifer &c. Acta Wormatia anno ut supra.

An. 1215. teste Godefrido monacho S. Pantaleonis
in Chronico, cum Friderico Rege Rom. Aquisgranii ipso
Coronationis die ad subventionem Terra sancta si-
gnati fuerunt Sifridus Moquntinensis, Archiepus Les-
vicensis, Dux Merania, Dux Brabantia, A. Dux
de Limburg, Dux de Ancoj, palatinus comes de Tu-
ingen, Marchio de Bade, S. comes de Los. W. comes

4 Berwinberg. Batavi-
ens. Argentorensis Epi-
scopi

154. de Juliaco. H. comes de Ceine, H. comes de monte,
et alij quamplurimi nobiles, et magna equestris or-
dinis multitudo, adeo non terruerunt genosum
Hermannum animam vestigia euntis nec redeuntis
Patris, quin iret in eandem expeditionem.

An. 1291. Fridericus idem II. Rex de Aken dorferensi
Monasterio jus quoddam in Salinas Hallenses donans
testes nominal in diplomate, in quorum numero sunt
S. Moguntinensis Archiep. H. Marchio de Baden. &c.

Bellum circa ea tempora fuit Hermannus Marchioni
cum vicinis Comitibus, cujus occasione Baggena-
cense monasterium damna haud levia passum, qua
ut resarciret bonus Princeps, donationem fecit his
litteris comprehensam:

In nomine S. et individua Trinitatis amen. Universi-
tati tam presentium quam futurorum innotescat,
quod ego Hermannus Marchio de Baden instinctu
divino compunctus, presentiumque virorum consilio
fretus, Ecclesie S. Pancratij Martyris in Bagnang,
qua saepius per me meosque factores laesa est, ad re-
stitutionem dispendiorum a me ei illatorum, jus
Patronatus Ecclesie in Landföden cum omni jure in
decimis, in agris, in pratis, in aquis, in aquarum
decurribus, in campis, in nemoribus, et sic cum
Universitate ad sustentationem omnium ibidem
Deo famulantium pro remedio animae meae fideli
largitione davi; contra ejusdem loci Praepositus

155.
comunitery, ibi conventus, me petente, montem in
Eichenberg, ubi nunc castrum situm est, usque ad se-
cundum vallum ac locum in Cotenveler, quem contra
salutem anima mea subtraxeram, ubi quondam uber-
rima prata floruerunt, pia voluntate mihi contradi-
derunt, ita tamen, ut haeredes mei nunquam in eodem
loco molendinum fundare presumerent, praeterea mo-
lendum sub Eichenberg, quod in praedio saepedictae
Ecclesiae indebite struxeram, post obitum vite mea-
cum omni jure usquequaque eidem conventui assi-
gnavi. Et ut haec inconcussa et inconvulsa perpe-
tuo maneat, minimine sigilli nostri confirmamus.

Peracta sunt autem haec anno ab Incarn. Dni MCCXXXI.
regnante invict. Imp. Frederico, sub Diethero ejusdem
loci Proposito. Hujus rei testes sunt Ulricus de Hel-
fenslein, Albertus de Rospewag, Henricus de Preverer,
Albertus de Hfvelt, Herbrandus de Hohenberg, Gre-
gorius protonotarius, Conradus de Node, Engelhardus
de Windegge, Cunradus Schobbe, Albertus de Node. &c.

An. 1274. Henricus VII. Rex: uti narrat Trit-
hemius: contra patrem suum Fredericum conspira-
tionem fecit in sui ipsius perniciem et periculum
plurimorum. Ex eo autem die quoscunque potuit,
minis, precibus, et promissionibus sollicitare cepit,
ut se relicto patre sequerentur, multosque obtinuit,

Vormatienses autem et reliquos, qui propter iurju-
 randum noluerunt a patre deficere, multis injuriis
 longo tempore tribulavit. Videns hoc Marchio Ba-
 densis fidelis Imperatoris in Siciliam proficiscitur
 ad Imperatorem, suggerens ei, ut quantocumque in Ale-
 manniam revertatur, alioquin et patria periculi-
 taretur, et ipse perderet imperium, Principibus cum
 filio adversus eum conspirantibus. Imperator hoc nun-
 tio audito, Marchione ad Alemanniam praemisso, se
 quantocumque venturum promisit; At vero Henricus
 Rex agre tulit, Patrem super his, qua commiserat,
 informatum, eorumque consilio in Alemanniam revesu-
 rum, unde collecto exercitu fines illius ingreditur,
 et mala in eum grandia machinatur. Marchio
 autem certus de Imperatoris adventu, se suosque for-
 liter defendit, et exercitum Regis fugavit. Haec
 Trithemius a Guillimanno citatus in Berchtoldo Ep^o
 Argentinenfi. Et vero supervenit Imperator, fili-
 umque Henricum captum in Siciliam misit carceri
 perpetuo mancipandum, Deo meritis ejus vicem red-
 dente s: inquit Trithemius: qui nobile regnum Ale-
 mannia praeonibus fecerat esse commune, qui reli-
 giosos et Ecclesiasticos violenter oppreperat injustis
 Servitiis et exactionibus, qui provinciam usque adeo
 dirptioni exposuit impiorum, ut nulla jam esset
 itinerantibus pacis securitas.

157.
Non mirum, quod Hermanno Marchioni eodem ad-
huc a^{no} Fredericus Imp. diploma sequens aureo sigillo mu-
nium dederit: Fredericus Dei gratia Rom. Imperator
semper Augustus, Hierosolymorum et Sicilia Rex, per pro-
fens scriptum notum fieri volumus universis Imperij fi-
delibus tam presentibus quam futuris, quod olim pre-
sentes in Alemannia meminimus obligasse Hermanno
Marchioni de Baden fideli nostro Civitates Louffen, Suñes-
heimb et Eppingen pro duobus millibus et trecentis mar-
cis argenti et in fado sibi dedisse civitatem Eteningen
et civitatem Ourlach in proprietatem pro bonis, qua
sibi ex parte uxoris sua de proprietate in Brunsvic con-
tingebant juxta tenorem privilegij nostri exinde sibi in-
dulti. Et quia per illustrem Romanorum Regem Cun-
radum filium nostrum coactus est, de praedicta Summa re-
mittere mille marcas, et indultum nostrae Celsitudinis
privilegium resignare, et quod praedicta Civitates non
teneantur obligata sibi pro trecentis marcis argenti.
Nos volentes mandatum et obligationem nostram in se-
cuis ante consistere firmitate, presentis scripti auto-
ritate mandamus, quatenus Civitates praedicta obligationi
duorum millium et trecentarum marcarum argenti sub-
jaceant, et a modo teneantur, sicut nobis in Alemannia
existentibus obligata fuerunt, non obstantibus litteris
ab eodem Marchione dicto Regi filio nostro factis: Sta-
tuimus igitur, et mandamus, quatenus nullus sit, qui
dictum Marchionem vel haeredes suos contra presentis
obligationis nostrae paginam impetere, vel molestare

presumat, quod, qui presumpserit, indignationem
nostri Culminis se noverit incursurum. Ad cuius
rei memoriam presens scriptum fieri, et Bulla aurea
tygario nostrae Majestatis impressa jussimus comuniari.
Datum apud Pletinam anno Dom. Incarn. millesimo,
ducentesimo, trigesimo quarto, mense Novembri octava
Indict.

Anno 1235. Ludis equestribus Wirceburgi celebratis
inter alios Principes a fuisse legitur Hermannus Mar-
chio de Baden. vivere desit an. 1242. Diem obitus et
locum sepulturae his verbis adnotarunt Sanctimo-
niales Lucida vallis: XVII. Calend. Febr. ob. illustris Her-
mannus marchio fundator in Ins. Rinzui non Eru-
altas.

Conjugem habuit Irmenyarden Henrici filiam, cujus
supra meminimus, qui se Ducem Saxoniae et comitem
palatinum Rheni scribebat, et in Saxoniciis provinciis
per quas pater ejus Henricus Leo quondam omnes una
cum Bavaria tota possederat, / solum Ducatu Brun-
svicensi in sua potestate habebat; neptem proinde
Imperatoris Othonis IV. ex fratre uti nobilissimam,
ita religiosissimam feminam, quae pro virginibus
illustribus ac nobilibus monasterium Lucida vallis
extruxit et fundavit, ut postea videbimus. Hac
filios Hermannus IV. genuit Rudolphum et Herman-
num V. filiam matri cognominem Irmenyardem
nuptam Eberkardo cogn. illustri, Com. Wirtembergico
Addunt aliqui Elisabetham Ludovici Dni in Frickenberg
uxorem.